

1396. NONAE.

Vestigium Generalis Congregationis Regni Croatiae et Dalmatiae, praeside Vicario ac Iudice Generali regio, A. 1396 Nonae celebratae.

Nos Johannes, Dei et apostolice sedis gracia Episcopus Zagrabiensis, et Secretarius Cancellarius Serenissimi Principis Domini Sigismundi, eadem gracia regis Hungarie, Dalmacie et Croacie, Vicarius et Iudex eiusdem Domini regis generalis. Memoriae commendantes tenore presencium significamus, quibus expedit, vniuersis: Quod nobis in congregatione nostra generali, ex mandato et speciali commissione eiusdem Domini nostri regis, vniuersis Nobilibus et alterius cuiusuis status, condicionis et preeminencie hominibus, regnorum Dalmacie et Croacie predictorum, feria secunda proxima post festum sacratissimi Corporis Christi, in Ciuitate Nonensi, per nos celebrata, existentibus causasque nonnullorum nobis querulantium, iusto iuris tramite discutientibus, nobilis vir Magister Johannes Saracenus, Comes insularum Kersy et Absary vocatarum, de medio aliorum in nostri presenciam exurgendo, nobis detexit querulose: quomodo alias condam Serenissimus Princeps, Dominus Ludouicus rex Vngarie, felicitis memorie, predictas insulas Kersy et Absary, cum omnibus vtilitatibus et pertinenciis vniuersis, condam Magistro Jacobo Saracheno, ac fratri suo carnali, per suas vigorosas litteras contulisset, et ipse Magister Jacobus Saracenus, insulas predictas, a tempore huiusmodi collacionis, quoad vltimum terminum vite sue pacifice et quiete possedisset, iuxta sue libitum voluntatis. Tandem ipso condam Magistro Jacobo Saracheno, volente Deo celi, ab hac luce decesso, condam Serenissima Princeps Domina Maria, regina Hungarie, felicitis recordacionis, easdem insulas Kersy et Absari, simul cum omnibus villis ad easdem pertinentibus, ac aliis quibusuis fructibus, prouentibus, vtilitatibus, commoditatibus, obuencionibus, et emolumentis earundem annotato Magistro Joanni, et per eum suis heredibus et posteritatibus vniuersis, sub eisdem condicionibus, pactis et seruiciis conseruandas perpetuo contulisset noue sue donacionis titulo, quibus ceteri Nobiles possessionati homines, in dictis regnis Dalmacie et Croacie existentes, possessiones eorum et Jobbagiones in eisdem residentes forent soliti conseruare; exponens nihilominus annotatus Magister Johannes et per modum querimonie nobis significans, quod modo ciues et incole prescriptarum insularum suarum rebellionem ducti et contumacia, debitam obedienciam et reuerenciam ipsi Magistro Johanni facere recusantes, omnia et singula seruicia, quibus eidem ex more et consuetudine statucionis obligati forent, a multis retro lapsis temporibus sibi facere et exhibere recusassent et abnegassent, et de presenti abnegarent, in sui iuris preiudicium satis grande, petens sibi ex parte predictorum ciuium et incolarum insularum suarum predictarum, per nos iusticiam impartiri. Quo percepto Stephanellus Petrisii, Dragonya, filius eiusdem, Christolinus, Lucianus, Luczko, Nicola, Johannes Agney, Lamprencius de Lybenicze, Kolycza de Absaro, Dominice de Capysoli et Dominicus Janoti, speciales syndici et procuratores iam dictorum ciuium et incolarum, cum sufficientibus litteris procuratoriis eorumdem, in nostri